

MONS.GIOVANNI CASTELLI "Visita Pastorale Apostolica" 1576
carta 655 sq.

PLEBS DE BIBBONA. Deinde visitavit parochialem ecclesiam plebaniam nuncupatam S.Hilari in castro Bibbonae. Cuius est plebanus ~~p^{re}benus~~ presbiter Joannes Dominici de Anselmis oriundus ex dicto loco, qui fuit provisus auctoritate ordinaria de mense januarii 1569 non servato concursu. Ecclesia est liberae collationis. Rector residet, sed moratur in domo paterna, quia domus ecclesiae male se habet, et in ea invenit retentum fenum. Vidit asservatum in ecclesia Santissimum Sacramentum in tabernaculo marmoreo super maiori altare in vase eburneo in vasculo raminis. Dixit afferre Viaticum infirmis in patena super calice impositum et velo coopertum, et unicam particulam. Desunt tabulae et scamna pro communicandis. Vidit vasculum sancti Olei plumbeum indecens asservatum in tabernaculo in pariete ad dexteram altaris. Vidit capsulam nuceam in eodem loco asservatam pro sancto Chrisma et Catecumenorum. Vidit Fontem Baptismi marmoreum ad dexteram ingressus ecclesiae clave clausum. Cratera baptismi est terrea. Vidit liberculum baptizatorum parvulum inceptum de mense januarii 1579. Vidit alium libellum in quo sunt descripta matrimonia contracta in parochia, inceptum de eodem anno, et celebrat matrimonia in domibus privatorum. In ecclesia adest altare maius super quo consistit dictum tabernaculum marmoreum, et non adest icona, sed dumtaxat in pariete quasdam imagines s. Sebastiani et s.() sed prope tabernaculum undique cernitur paries alba. Vidit unum calicem cum patena quae indiget in aureatione. Fuit relatum fuisse delatum Pisis alium calicem reficiendum ab Operariis. Vidit super altare tres tabuleas decentes et quatuor candelabra auricalchi. Ecclesia est consecrata, et celebrat festum dedicationis die 17 decembris quotannis. Tenetur rector quotidie celebrare, et non retinet cappellanum. Pavimentum prope fontem baptismi deficit. Parietes ecclesiae sunt dealbandae. Sub-hostiolum tabernaculi ad dextram altaris est depingendum, et calix depictus est abradendus. Quatuor sunt altaria in ecclesia, sed nullum confertur in titulum, et primum est prope hostium Societatis Corporis Christi, in cuius pariete est depicta imago Crucifixi extincta. Deficit ~~crux~~, et candelabra et non adest petra consecrata, et omnia deficiunt. Aliud altare suorum quo sunt duae imagines antiquae Beatae Mariae. Fuit relatum pertinere ad Fratres S. Mariae Pietatis extra oppidum, et super eo non celebratur nisi semel in anno, et celebrant festum Purificationis Beatae Mariae Virginis. Habet introitus ex 25 saccatis terrae et una domo in oppido aureorum decem. Deficit crux, et sunt duae imagines antiquae deformes

quae potius risum movent quam pietatem inducant. Aliud altare, super quo est imago extincta S. Francisci. Non habet redditus. Non adest crux nec petra consecrata, et non celebratur. Aliud altare prope fontem baptismi non confertur in titulum. Non habet redditus et in pariete est depicta imago s. Bartolomei. Adest parvula tabula Beatae Mariae caret cruce et tabula. Fenestra ecclesiae est aperta et vidit nidificare arundines. Adsunt duae pilae marmoreae. Non adest confessionale. Non adest sacristia quia iam facta est Societas laicorum sub nomine Corporis Christi, sed quando plebanus consensum praestitit in instrumento cautum est ut ea uti possit loco Sacrestiae. Quinque sepulchra adsunt in ecclesia pro tumulandis cadaveribus. Possidet rector pro ecclesia plura petia terrarum, et molendinum olei redditus aureorum 60. Pro decimis praedialibus nihil exigit sed est consuetudo exigendi libram unam denariorum pro quolibet cadavere. Familiae consistentes sub parochia non excedunt 120. Recipientes Eucaristiam sunt 300 in circa. Rector asseruit neminem remansisse, qui non receperit Sacramentum, et neminem adesse publice criminosum, aut excommunicatum. Non habet bullam In Coena Domini, nec Casus Reservatos. Pro exercendo cultu divino multa desiderantur, nempe pluviale, tunicellae pro missa maiori, turribulum cum navicula, planeta viridi coloris, et alia quae in decretis exprimentur.] ABSOLUTA VISITATIONE DECRETUM FUIT UT SEQUITUR.

Trium mensium spatio debeat rector obtinere novam provisionem a Sede APOSTOLICA ET SUPPLERE DEFECTUM tituli, alias elapso dicto ~~termino~~ termino reverendissimus Ordinarius procedat ad declarationem privationis.

Emat rector vasculum argenteum decens includendum in illa capsula eburnea. Circumdet interius tabernaculum aliquo sericea rubei vel viridi coloris cuius subhostiolum etiam ab interiori parte cooperiatur, ab exteriori vero in ipso depingatur imago Christi cum calice, et altius elevetur, ut pes dicti tabernaculi videatur, et tabernaculum ipsum coloribus et auro depingatur, et desuper imponatur umbella. Emat vasculum raminis aureati ad instar castodiae, et deferat duas particulas, et velum magnum super spatulis cum tintinnabulo, et octo luminaribus, et semper incedat superpelliceo et stola indutus, et redeat cum eodem habitu, et annunciet indulgentias. Purificet laicos, et aegrotos in ciato ad hunc usum retento. Provideat scamna et tobaleas pro communicandis. Pro baptismo emat crateram stanneam, et circumdet fontem ~~baptismi~~ balaustris nuceis, ne populares valeant super ipsum procumbere, et cooperiat fontem coramine rubeo. ~~Emat vasculum~~

Emat vascula raminis aureati pro sacro Crismate, et aliis Oleis, cum distinctis separationibus, et notis licterarum, ut exterius cognosci valeant. Emat quoque vasculum Extremae Uctionis distinctum, et includat in marsupio sericea, et asservet in loco ubi nunc vidit asservatum. At sanctum Chrisma custodiatur in tabernaculo iuxta fontem, quod adeo aptetur, ut claudi possit, et interius et exterius depingatur. Emat librum magnum paginarum ad minus 300 in foleo, et rescribat in eo omnia nomina baptizatorum in dicto librunculo, ne faciliter depereant, et postea in eo nomina ipsorum qui post baptismum suscipiant redigantur. Monuit rectorem ut caveat ne posthac diutius differant ad baptismum faciendum ad tres dies ad summum, et nullus posthac admittat qui non receperit Eucaristiam, et si puer esset domi baptizatus utatur formula praescripta in Provinciali Sinodo Florentina, et ad levandum infantem admittat marem et foeminam ad summum. Emat alium librum magnum eiusdem qualitatis in quem referat matrimonia contracta, et in posterum contrahenda, et eo describat sigillatim dies, in quibus fient denunciations, et postea in ecclesia cum superpelliceo et stola intersit matrimoniis, et nullo modo in domibus privatorum, et utatur forma in Concilio Tridentino praescripta. Pro altari ematur icona decens, aut saltem in pariete depingantur imagines. Calix inauretur, et qui Pisis allatus est ad reficiendum afferatur ad ecclesiam. Tectum ecclesiae resarciatur. Pavimentum iuxta fores restituatur. Parietes ecclesiae hinc ad festum s. Hilari dealbentur. Subhostiolo tabernaculi ad dextram altaris abradatur calix. Altare prope hostium Societatis Corporis Christi ornetur cruce, candelabris, pallio coraminis, tobaleis, et novo scabello et lapis consecratus includatur, et imago Crucifixi depingatur. Idem quoque fiat altari Beatae Mariae Virginis in omnibus et per omnia, ut supra dictum est, et illae imagines amoveantur et comburantur. Alia duo altaria similiter ornentur, alias demoliantur. Fiat novum pulpitum decens ante Quadragesimam. Oculus ecclesiae vitro claudatur. Confessionale ligneum cum crate ferrea interiecta erigatur. Pavimentum pro tumulandis cadaveribus non decrustetur. Fiat pluviale novum sericeum decens. Duae tunicellae, planeta alba sericea cum reliquis pertinentiis. Turibulum cum navicula auricalchi. Asperges decens. Nova imago Pacis. Hastae novae pro intortitiis. Pelvis pro aqua benedicta auricalchi. Duas bandas pro cruce emat, alteram pro festis, alteram pro defunctis. Vexillum sericeum cum depicta imagine S. Hilarii pro processionibus. Conficiat inventarium rerum ad cultum divinum pertinentium, et bonorum stabilium ecclesiae

et exemplum transmittat ad episcopalem Curiam infra duos menses.
FUERUNT INTIMATA EODEM DIE SUPRASCRIPTO RECTORI.

SOCIETAS CORPORIS CRISTI. Deinde visitavit Societatem laicorum sub invocatione Corporis Cristi. Confratres sunt inter mares et foeminas 50. Vidit capitula approbata auctoritate ordinaria in libello male descripto Confratres non habent vestes albas. Congregantur feria quinta qualibet hebdomada de sero, et qualibet die dominico de mane, et recitant Psalmos Poenitentiales et Offitium Sacramenti. Habent in bonis molendinum ex quo percipiunt quotannis (staria) 36 grani, et ex proventibus Communis dicti oppidi exigunt solidum unum pro qualibet libra. Coeteris vero sumptibus suppeditatur elemosinis. Habent onus solvendi sextaria 12 frumenti cuidam Sigismundae Pisis commoranti olim famulae illius qui molendinum reliquit Societati, et celebrandi Festum Corporis Cristi, et associandi Viaticum. Icona altaris est decens, sed non adest crux neque candelabra. Mensa ipsius est consecrata prout etiam Confraternitas nuper fuit a reverendissimo Ordinario. In dicta Societate adsunt duo sepulchra in quibus tumulantur cadavera confratrum. Diebus festivis celebratur in dicta Societate etiam eodem tempore quo in ecclesia. Mansio dictae Societatis in omnibus bene se habet, licet sit parvula, solum desiderat albedinem. JUSSUM FUIT UT SEQUITUR.

Rescribantur Capitula in membranis et libellus cooperiatur aliquo sericeo, et in medio depingatur imago Cristi cum calice. Confratres qui non habent vestes teneantur illas facere omnino infra quatuor menses alias abradantur a Societate. Altare ornetur cruce et candelabris depictis et pallio coraminis aureati cum imagine Corporis Cristi in medio. Diebus dominicis nullus sacerdos audeat celebrare in dicta Societate nisi post celebrationem Missae in Plebe. Confratres sumant Eucaristiam salter ter in anno, et associant Sacramentum cum vestibus et octo luminaribus ad minus. ADEST OPERA IN DICTA ECCLESIA cuius redditur consistunt in sextaria 24 grani et ex quadam domuncula percipiuntur librae 12 ~~xxx~~ et ex apoteca librae 7. Non adest inventarium suppellectilium Operae. Jussum fuit Operariis ut una cum plebano infra duos menses debeant conficere inventarium bonorum stabilium et rerum ad cultum divinum destinatarum, et exemplum transmittere ad Curiam episcopalem.

CONFRATERNITAS SANCTORUM SEBASTIANI ET ROCHI. Deinde visitavit

Confraternitatem laicorum sub invocatione Beatae Mariae Virginis ~~xy~~ et sanctorum Sebastiani et Rochi in dicto oppido Bibbonae. Confratres induunt veste celestina. Non habent Capitula. Societas ipsa in tecto parietibus et pavimento nulla eget reparatione. Habet campanile cum

duabus campanis, quia fuit relatum olim fuisse ecclesiam parochialem sed propter ipsius angustiam Plebem fuisse edificatam. Icona altaris est antiquum super quo cum ornamento nuceo adest imago Crucifixi. Confratres sunt numero 30 et totidem mulieres, quae non congregantur. Homines vero congregantur qualibet sexta feria de sero, et quolibet die dominico de mane, et recitant 7 psalmos poenitentiale, et matutinum Beatae Virginis. Altare caret cruce et candelabris. Pro sacrificio Missae vidit calicem cum patena, quae est inaureanda. Vidit planetam attritam, et nova indiget. Coetera sunt tollerabilia. Possident petiolum terrae sextariorum 8 parvi redditus, et sumptus faciunt cum elemosinis. **IMSSUM FUIT UT INFRA.** Confratres, qui non habent vestes eas faciant infra duos menses, alias eradantur e Societate. Eligant quatuor ex peritioribus confratribus qui componant Capitula cum quibus gubernari debeant, et infra sex menses exhibeant reverendissimo Ordinario approbanda. Altare ornetur cruce et candelabris depictis et pallio coraminis inaureati. Patena inauretur. Nova planeta sericea alba fiat. Sumant Eucaristiam saltem ter in anno.

ORATORIUM SANCTAE MARIAE PIETATIS. Postremo visitavit ecclesiam sive oratorium s. Mariae Pietatis extra oppidum Bibbonae in quo morantur quidam Canonici regulares nuncupati S. Petri sub regula S. Augustini. In dicto conventu non reperiit nisi duos sacerdotes videlicet Donnum Donatum de Clanni priorem, et Donnum Petrum de Florentia. Et ista Congregatio habet duo alia loca, unum in hac dioecesi volaterrana sub titulo S. Bartoli in comitatu S. Geminiani; alterum in dioecesi florentina sub titulo s. Michaelis de Montecorboli extra oppidum S. Donati in Podio; in quibus locis commorantur dumtaxat unus sacerdos adeo ut inter omnes sunt quatuor fratres. Et quinque morantur extra claustrum religionis, videlicet Donnum Alexandrum de Tholomeis senensem, et ignorant ubi hodie reperiatur nam est annus elapsus quod discessit de Terra Pisciae. Donnum Julium de castro Figlini, qui forte reperitur Romae cum habitu. Donnum Raphaellem de Prato qui in dicta Terra retinet curam dicti hospitalis cum aliis. Donnum Franciscum de Retro januensis dioecesis de quo duobus abhinc annis elapsis nihil auditum est. Donnum Joannem Antonium de Vulparia, qui docet grammaticam Florentiae. Qui omnes quinque fratres susceperunt habitum dictae Religionis in hoc conventu, sed prius habebant habitum, et fortasse professionem emiserunt in alia religione. Donnus Alexander in ordine Servorum, coeteri in religione S. Francisci, et Donnus Augustinus in religione S. Bartoli, et Donnus Petrus in religione Carmelitana, in qua fuit promotus ad sacros ordines et emisit professionem

Ecclesia ipsa ~~live~~ oratorium est turbinata in medio, et ad instar crucis, et habet tres ianuas, et in aedificiis optime se habet, et nulla eget reparatione. Orationum ipsum est consecratum una cum altare et anniversarium dedicationis celebratur die 7 mensis octobris quotannis. Celebratur in eo singulis diebus saltem per unum sacerdotem, sed diebus festivis ambo celebrant. Quia adsunt duo fratres non professi quos vicant 'conversos', et duo alii clerici. In dicto oratorio non tumultantur cadavera nisi aliquando quis sibi elegerit sepulturam quod tamen raro accidit. Adest altare cum imagine Pietatis in pariete depicta quae retinetur cooperta, et tantum semel in anno discoperitur Feria Secunda Paschatis Sanctissimae Resurrectionis. Adsunt 12 lampades vitreae, et una semper retinetur accensa, diebus festivis duae, et paschalibus omnes. In dicto oratorio non asservatur Sacramentum neque adest tabernaculum. Super dicto altari vidit crucem ramini aureati satis decentem cum sex candelabris auricalchi, et duobus ligneis depictis. Adsunt duo alia altaria hinc inde, quae non conferuntur in titulum sub invocatione s. Antonii et s. Catarinae, et super eis non celebratur nisi in festo tituli aut ex devotione alicuius. Adest Sacristia refecta paramentis necessariis ad cultum divinum cum quatuor calicibus cum cuppis argenteis decentibus. Dicti Fratres nullum habent superiorem praeter episcopum volaterranum et vivunt sub regula S. Aggustini, et non habent constitutiones particulares. Congregantur quotannis in dicto oratorio pro ipsorum negociis, et habent privilegia apostolica Papae Julii II et bullam concessionis dicti Oratorii eisdem factae a Cardinali de Soderinis tunc episcopo volaterrano de anno 1503. Possident unum praedium, et quaedam petia terrarum ex quibus colligunt quotannis sacc. 40 grani et ex vinea cados 50 vini, et recolligunt oleum pro victu, et ex incertis elemosinis quotannis ad minus recolligunt 50 aureos. Adest campanile cum duabus campanis. Mansiones monasterii male se habent quia oratorium est positum in loco adeo opaco, ut terra sit altior aedificiis. DECRETA SUNT INFRASCRIPTA. Illa duo altaria ornentur crucibus candelabris depictis palliis coramini aureatis et novis scabellis. Ex quo praedicta Congregatio per annos 70 et ultra in tam parvum numerum crevit, et uno donno Donato excepto qui habitum suscepit in religione praedicta alii omnes sunt apostatae et ex aliis religionibus altioribus prodire, proponat reverendissimus Ordinarius Sanctissimo Domino Nostro extinctionem et supplexionem huius religionis, et Orationum ipsum auctoritate apostolica concedatur Congregationi Vallisumbrosae, quae

in dicto oppido habet bona seu alteri religioni ex approbatis.
Fuit prohibitum dictis sacerdotibus ne audeant audire Confessiones
quia interrogati de Casibus Conscientiae prorsus ignaros se esse
praesetulerunt. Mansiones dicti Conventi commodiori ratione qua
fieri possit resarciantur.